



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Vtrum reprehensibile sit sacræ Cœn[a]e interesse, non tamen simul
communicare. Et responsio ad ea[n]dem sumpta ex Scripturis & Sanctis
Patribus 80

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Verum cum eiusmodi verbis iocandum & ludendum non est, neque ea in aëre tantummodo pronuntianda. Cæterum homines isti grauissimum hunc errorem atque omnimodam sicut S. Cœnæ Christi ita vniuersæ fidei Christianæ peruersionem defendere cupiunt, vt homines ista sacrifici actione, quam sine intellectu & fide audierunt ac contemplati sunt, non autem communicarunt, loco meriti Domini nostri Iesu Christi confidant, damnatamque conscientiam suam ad omnia peccata confirment. Idque faciunt propter perniciosum lucrum, quod ex præbendis, & oblationibus missisque quas mercede conducti faciunt, vnâ cum æstimatione & autoritate in hoc mundo percipiunt. Quos Christus Dominus spiritu oris sui breui in vniuerso mundo destruere & auferre dignetur, largiri que vt vera sacratissima ac salutifera Cœnæ suæ obseruatio rursus rectè intelligatur, restituatur, & in opere conseruetur. Amen.

Tertia Quæstio.

Vtrum reprehensibile sit S. Cœnæ adstare, non tamen simul communicare. Et responsio ad eandem, sumpta ex scripturis & Sanctis Patribus.

CAP. LXXX.



HTIAM de hac quæstione apertum habetur verbû Dei, quod ad omnes qui apud S. Cœnæ tractationem præsentés adsunt, in nomine illius pronuntiatur, Accipite & comedite: accipite & bibite ex eo omnes. Iam verò reprehensioni quàm maximè obnoxium est, Christo Domino fidem non adhibere: nempe quod ibi nobis porrigat, & tradat cibum ac potum vitæ æternæ. Fieri autè nequit, vt quis firmiter ac solidè hoc credat, Domino verò in eo non obtemperet, cibumque ac potum vitæ æternæ non summa cum gratiarum actione ac deuotione percipiat.

Non minus reprehensibile est, se in quamcumque actionem diuinã ingerere, ad quam quis deprehendit se minus esse idoneum. Iam verò constat, administrationem S. Cœnæ à Christo cum illis discipulis esse peractam, quibus omnibus corpus & sanguinem suum porrexit, iussitque vt omnes ea accipiant, manducant ac bibant. Ad sacram igitur hanc actionem nemo idoneus esse potest, qui Sacrosancta Sacramenta ad salutem suam percipere nescit, hoc est, qui nondum vult esse discipulus Iesu Christi, vel nondum tam plenè in doctrinam & obedientiam Domini se tradidit, vt in Domino manere velit, cupiatque vt Dominus maneat in ipso.

Hinc est quod S. Patres firmiter ac seriò obseruarunt, vt post publicam doctrinam & preces, antequam tractationem S. Cœnæ auspicerentur, ab Ecclesia Christi amouerent, non tantum catechumenos & Energumenos,

Energumenos, eosque qui in voluntariis peccatis flagitiisque contra conscientiam perseverabant: verumetiam illos qui propter grauiore transgressiones adhuc in poenitentia stabant, Christoque Domino & Ecclesie eius nondum reconciliati, & absoluti erant, Quoniam enim Christus S. Cœnam cum his tantummodo discipulis suis celebravit, qui etiam soli corpus & sanguinem eius perceperunt: cumque in S. Cœna idẽ à nobis fieri velit, quod fecit ipse, clarè equidem consequitur, Ipsum cum iis tantummodo discipulis suis, qui ad sacramentum istud percipiendum idonei sunt, cãmque vera animi deuotione petunt, celebrandum instituisse ac præcepisse.

Ad hæc ineptum per se est, & reprehensione dignum, vt Chrysostomus ait, à magno quodam beneficioque Domino inuitatum esse, & ad splendidum ac iumptuosum conuiuium accedere, de cibo autem ac potu apposito nihil degustare. Quamobrem S. Patres agnouerunt, omnes istos, qui ad S. Cœnam percipiendam idonei non essent, merito etiam esse debere, qui administrationi eius interfiant, & sacramenta tantummodo contemplantur.

Quam indignitatem, infidelitatem, & contemptum cœlestis cibi ac potus D. Chrysostomus vehementer amplificat, sic scribens: Omnis qui mysteriorum participatio non fruitur, impudens & procax est, si astat. Eius verò talem rationem assignat. Quemadmodum ad mensam veniente Domino, seruos qui Dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hic dum profertur sacrificium, & Christus eius Dominica immolatur. Propterea qui in peccatis sunt, priores reiciuntur. Quod cum per Diaconum factum est, & aliquis semetipsum peccatis implicatum noscens, nõ discedit, is impudentem temeritatem audaciãque designat, audiẽtque à Domino, *Amice quomodo intrasti huc, non habens vestem nuptialem*, &c. Singulariter verò notat, quod Dominus nõ dixit, *Quare discubisti, sed quomodo intrasti huc?* Ad hoc etenim conuiuium nemo accedere, aut apud id manere debet, qui non veste nuptiali, Christo Domino, ornatus & indignus est, atque idcirco ad sacramenta salutariter percipienda indignus. Rursus si quis nouit se non esse in peccatis, & tamen diuinum ac salutiferum cibum non percipit, cum rursus impudentem temeritatem admittere dicit, propterea quod regem Christum, cibumque ac potum eius cœlestem contemnit, ac negligit. Talem enim similem esse ait homini cuiuspiam, qui si in conuiuium vocatus manus ablueret, & recumberet, & mensæ paratus adesset, postmodum verò nihil gustaret.

Idem pater ad obiectionem de indignitate respondens, dicit, Eum qui indignus sit participatione sacramentorum, indignam quoque esse illam quæ per preces fit communionem, vel etiam sola sacramentorum spectatione: sed debere talem prius poenitentiam agere, ac postmodum ad mensam Domini accedere: & si dignum se deprehenderit, sacramentis participare. Legatur hic totus sermo de his qui indignè sumunt corpus & sanguinem Christi.

Hanc ordinationem ab apostolis acceptam esse Calixtus Papa agnõ-

R

uit, ac testatur, quod ea adhuc suo tempore in Ecclesia Romana fuerit visitata, sicut caput Peracta de Consec. dist. 2. probat, quod sic se habet. Peracta cōsecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere hominibus. Sic enim etiam Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Hunc apertissimum canonem conantur Aduersarij sophisticatione sua peruertere, adscribunt enim Anacleto Papæ, propterea quod aliqua eius pars etiam habetur in consarcinato figmento, quod tanquam Epistola Anacleti, proculdubio à vago quodam ac mendaci spiritu, corrasu & congestum est: cuius farinae sunt omnes Epistolæ Decretales, quæ primis Papis assignantur, & per D. Ioannem Sichardum anno XXXVI. cum ementitis falsoque confictis scriptis Clementis typis traditæ sunt. Verum Gratianus, cui tanquam antiquiori ac fide digno auctori maior fides adhibenda est, quàm ei qui falsum istud ac nugacissimum commentum sub nomine Anacleti congestit, vel ipsis quoque Aduersariis, Canonem hunc Papæ Calixto adscribit.

Cæterum ponamus Canonem istum reuera Anacleti esse, vnà cum eo, quod in isto figmento nimis imprudenter & inconsideratè contra veritatem dicuntur, videlicet de caeremoniis ac pompa apud sacrificium missæ, in vestibus, & in eo quòd Diaconi, subdiaconi, & sacerdotes Episcopo à fronte, & à tergo, & à dextra sinistraque assistere debeant, custodientes eum à maleuolis hominibus. Ex eo tamen non sequetur, Canonem istum ad memoratos tantum diaconos pertinere. Verba enim non sic habent, Omnes Diaconi, sed simpliciter, Omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus.

Estque admodum ridiculè ab Aduersariis dictum de primis hisce tēporib⁹ Ecclesiæ, quibus Anacletus proxim⁹ à Clemente Romanam Ecclesiā administravit, Nullā fieri in hoc canone expressā mēionē laicorū: perinde ac si tūc tēporis vlla missa celebrata fuerit sine Christianorū laicorū cōgregatione. Verū lōgè adhuc grauior demētia est Aduersariorū ac cæcitas, qua nō vident, Canonē istū, etiā iuxta falsa eorū interpretationē intellectū, neminē nisi seipos cū omnibus sectatoribus ac cōplicitibus suis condemnare, maiorēque sui partem à liminibus Ecclesiæ excludere. Neque enim sacerdotes, neque reliqui Diaconi semper vnà cōmunicāt.

Sed quid longa disputatione opus est? Nouus canon inter eos qui A-

Octauus & nonus C. non Apostolorum, & 2. C. Concilij Antiocheni, iu- S. Cæna adstant, non autem simul communi- cant, ab Ec- cl. exclu- dera.

postolis attribuuntur, quem Gratianus quoque introduxit, De Cōsecr. dist. 1. satis manifestus est, qui sic mandat, *Omnes fideles qui conueniunt in solennitatibus sacris ad Ecclesiam, & scripturas Apostolorum & Euangelium audiunt. Qui autem non perseuerant in oratione vsque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, vel inquietudines Ecclesia mouentes, conuenit cōmunionem priuari.* Quod & in 2. Canone Concilij Antiocheni positū est, qui eandem inquietudinis, seu, vt ipse appellat *causam* adfert, quæa imodū cōmunicare Canō est Apostolorū & ordinatio Ecclesiastica. Idem in octauo canone Apostolorum habetur, qui requirit, vt se Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ex sacerdotali catalogo, facta oblatione nō cōmunicauerit, aut dicat causā, vt si rationabilis fuerit, ve-

rit, veniam consequatur: aut si non dixerit, communionem priuetur, tanquam qui populo offensionem sit, generetque suspicionem de eo qui sacrificauit, quasi non recte obtulerit. Hic Canon in genere loquitur de suspicionem contra sacrificantem, non quasi non recte obtulerit, quam particulam interpretes de suo adieci: neque enim habetur in Græco textu.

Iam perpendat Christianus Lector, horum trium Canonum verba. *Omnes isti peracti Canones ad eum reprehensibile agnoscunt, ad Ecclesiam sacramque Cœnam se conferre, sacramentis vero non communicare, ut tales excommunicare, & ab Ecclesia Christi excludi debeant.* Huius autem tam seueræ animaduersionis, quod ad laicos pertinet, hanc causam adferunt. Quod quicumque hoc pacto à communione abstinere, inquietudinem & *disturbantiam* in Ecclesia mouet.

Quo ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, aliosque Clericos, quod sacrificantem suspectum populo reddat, non ideo tantum quod non recte obtulerit, sed in genere, quod vel in doctrina, piæque vita se non continebat, cum iis nullus Episcopus, presbyter aut diaconus vel quiuis alius ex Clero communicabat. Qui vero alium eiusmodi quodam vitio contaminatum, atque idcirco indignum iudicabat, cum quo ceteri communicarent, is tenebatur coram vniuersa multitudine tale convincere, non autem inanem falsamque suspicionem de quoquam excitare, unde Spiritus S. contemni, & schisma in populo suboriri potuisset. Hic est vnicus & genuinus horum Canonum intellectus.

Quis iam non videt, quod apud S. Cœnam comparere, cum Ecclesia vero non communicare, tam in Clericis quam in laicis datur, vitioque vertitur, idque ob hanc causam, quod inquietudinem, sinistra suspensionem, & Christianæ obediencie dissipationem inducit? Quomodo autem si spectus populo reddi potuisset is qui sacrum officium peragebat, si quando vel Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel quiuis alius, ex Clericorum numero cum eo non communicasset, si tunc temporis, quemadmodum nostro seculo perinde fuisset, siue quis communicaret, siue à communione abstineret: non autem publica consuetudine obseruatum fuisset, ut omnes S. Cœnae praesentes simul quoque communicassent? Ad eundem modum quomodo potuissent illi qui à communione abstinere, inquietudinis & *disturbantiae*, quam in Ecclesia excitarent, accusari, nisi publica ordinatio Ecclesiae fuisset, ut quotiescunque S. Cœna administraretur, oes adstantes simul quoque sacramenta perciperent.

Hæc apertissima planissimaque verba conatur Aduersarij nebulis suis obscurare ac pervertere, dicentes, Hic non simpliciter oes dantur, qui cum S. Cœnae tractationi praesentes adsint, sacramenta tamen non percipiunt, sed eos tantum, qui id faciebant, ex auersatione vniuersalis Christianorum communionis, secundum propriam aliquam disciplinam, doctrinam & modum. Verum talis cuiusdam auersationis disciplina aut modi in istis Canonibus ne verbo quidem mentio fit, sed ut iam antea dictum est, simpliciter decernitur. Excludendos esse ab Ecclesia Christi, tam Clericos quam laicos, qui apud S. Cœnam Domini coparentes, sacramentis non communicant, idque ob hanc causam, quod si tale quid à laicis admittatur, inquietudinem & confusionem in Ecclesia generet, si vero à Clericis, sinistram de sacrificante moueat in populo suspensionem. Nunc iudicet Christianus Lector, vtra pars Canones istos torqueat, & per vim ad suam sententiam & opinionem deflectat: & vtra genuinum eorum ac germanum sensum fideliter retineat.

Ex his omnibus perspicuum est, tam iuxta verbum Dei, quam veram & antiquam Ecclesiarum obseruationē reprehensibile esse, apud S. Cœnam in comparere, sacramenta verò non percipere, Dominus enim in iis tantummodo discipulis suis S. suam Cœnam instituit, qui de ea simul participare & possunt & debent. Talis discipulus quicumque esse noluerit, pro eo neque conuiuium istud instructū est. Dominus enim non pro spectaculo illud instituit, sed dixit, *Accipite, & comedite, Accipite & bibite ex eo omnes.* Sic Paulus: *Panis quem frangimus. Frangimus inquit, non ego vel sacerdos tantum frangit.* Item: *Vnus panis & unum corpus multi sumus, nā omnes ex eodem pane participamus.* Omnes, inquit. Ad hunc modū obseruarunt omnes antiquę Ecclesię, donec verum Ecclesię ministerium, proh dolor! intercidit, penitusque collapsum est, cœptumque sacram Cœnam Domini non in eum finem administrare, vt magis magisque ac perfectius in Domino viuamus, & ipse in nobis, sed vt sacrifici multas prębendas, mercedes, oblationes, existimationem & dignitatem apud populum sibi acquirant & cumulent. Tunc ex S. Cœna sacrificium & spectaculum effectum est, hominibusque persuasum, quòd si huic actioni præsentes interfint, ad eamque liberaliter elargiantur, omnia bona & commoda eis impetret, mala autem & incommoda omnia propellat, siue quid ibi agatur, intelligant, siue non. siue communiceant, siue à communionē abstineant: siue fidelem agant peccatorū suorum pœnitentiam, firmumque propositum habeant vitam suam emendandi, siue nihil horum in animum inducant. Hanc horrendam & abominandam sanctissimę institutionis atque ordinationis Christi Aduersarij tueri ac defendere conantur, & propter hanc vnicam causam tam acriter contra clarissimum lumen veritatis depugnant.

Liber Reformationis cupit homines paulatim ac sensim erudiri & ad institutionem ordinationemque Domini, ac plenū vsum S. Cœnę pedetentim adduci. Qui quoniam tā horribiliter intercidit, non requisit Liber, quemadmodū Aduersarij calumniantur, vt omnes qui apud S. Cœnam comparent, ad communionem cogantur, aut à S. Cœna intempestiuē absterreantur aut repellantur, præsertim qui in apertis & excommunicatione dignis flagitiis non hærent, neque scientes ac volentes sacramenta contemnunt, sed expressis verbis eiusmodi importunā & intempestiuam seueritatē prohibet, ac mandat Pastoribus, vt eos qui ex humana quadam infirmitate, ignoratione & præpostera sacramenti reuerentia à mensa Domini abstinent, non deterreant, vel à tota S. Cœnæ actione depellant, sed paternē & suauiter quotidie de his mysteriis doceant & instituunt, & ad solidam eorum & cognitionem & vsum sensim adducant. Hęc verba habentur in libro.

Nihilominus tamen fateri oportet, reprehensione dignum esse sacrę Cœnæ adstare, & à communicatione abstinere, quemadmodum satis clarè demonstratum est. Nec quicquam contra hanc sententiam facit, quod Aduersarij dicunt, Et quare obsecro probi ac pij Christiani nullis deliberato animo commissis criminibus obnoxij arcētur à Missa?

Quare non liceat talibus manere in sacro officio, vt corpore & sanguine

guine Christi præfente, tantò attentius Dominicę passionis habeant memoriam, ad agendum Deo gratias, ad orandum, & pro sua totiusque mundi salute supplicandum, ad audiendum item lectiones sacras, in ædificatione fidei & charitatis suę? Missis enim adesse nulli pio ac probò Christiano, vitio vertitur aut prohibetur, qui non deliberata mente in peccatis perseverat, neque est sub pœnitentia: verù salutarì mensę Domini altare, cibum verò ac potù vitę æternę non percipere, hoc demum est, quod crimini vitioque datur. Id enim non nisi ex defectu fidei provenire potest: nempe quod homines salutiferã Domini vocationem & invitationem, dicentis, *Accipite, comedite: accipite, bibite ex hoc omnes, ac cœlestem corporis & sanguinis sui cibum ac potù non satis dignè estimant, vel quod ex superstitione à cõmunionem sacramentorù abhorrent.* Harum causarum quęcunque tandem à sacratissimo hoc sacramento homines abstinēt, reprehensione certè non vacat, & abstentione quoque à sacramentis culpabilem & reprehensibilem reddit.

Nec quicquã hoc loco importat, quòd Aduersarij similitudinem Augustini de centurione adducunt, quã S. ille Pater eos excusat, qui magna sacramenti reuerentiã nò quotidie, sed certis dieb. cù exactiore sui ipsorù preparatione, sacramentum percipiunt. Non enim de talib. loquitur D. Augustinus, qui ad missam quidẽ veniebant, sacramenta verò nò percipiebant: sed de iis simpliciter, qui sacramentis nò quotidie participabãt.

Facilè possumus fidem & charitatẽ ex S. lectionibus confirmare, mortem Domini ad ædificationem meditari, Domino pro ea gratias agere, preces pro nobis ipsis & aliis hominibus fundere, etiam si ex S. Cœna contra manifestam institutionem Domini non faciamus spectaculù, aut sine communicantibus celebremus. Quã ratione veteres quoque quotidianos conuentus ad S. lectiones & orationem sine administratione S. Cœnæ piè & vtiliter ad ædificationem habuerunt.

Nihil igitur adiumenti adfert ad spectaculù ex Missa faciendù, quod Aduersarij de audientis missis adduxerunt. Veteres enim eas quoque preces & supplicationes quę sine celebratione S. Cœnæ fiebant, missas appellarunt: licet missa Catechumenorù dicta est, quæ tamen non apud S. Cœnã fiebat. Ambo etiam canones Concilij Agathensis, quos Aduersarij citant, nempe 21. Si quis, & 47. Missas habent quemadmodù in Actis huius Concilij describuntur, Missas facere vel tenere, non audire. Et quamvis Missas audire positum esset, propterea tamen non excluditur Communicatio, quin Aduersarij ipsi per istos Canones condemnantur, qui missas suas ita faciunt, vt fidelis populus eas audire non possit. Audire enim in tali negotio, significat cum intellectu audire.

In hoc articulo etiam illud suggillant Aduersarij, quo Liber Reformationis ordinat, vt S. Cœna diebus Dominicis vel festis, aut quib. cõmunitas orationis causa alioquin tota congregata fuerit, celebretur, vt cùm discipuli Domini nostri Iesu Christi simul omnibus celebrari possit, quemadmodum Christus Dominus fecit ipse. Atque hoc loco obiciunt, Dominum non omnes discipulos suos, sed duodecim tantum Apostolos ad Cœnam suam assumpsisse.

Responsio. Dominus omnes, qui ex discipulis suis eò vsque edocti & instructi erant, vt S. Cœnam salutariter percipere possent, ad sacrosanctum istud sacramentum assumpsit: in quo fortasse ad numerum quoque, quem Agnus Paschalis requirebat, respexit.

Ad Ianuarium Epistolâ 118. Præterea constat S. Cœnam apud veteres in maiori parte Ecclesiarum festis tantummodo diebus, aliisque ad publicas supplicationes peculiariter deputatis, celebrari solitam fuisse. Ad hæc, vt D. Augustinus testatur, hæc res liberę obseruationis est, ad eò vt in ea queuis Ecclesia ordinare, moderari, & instituere possit, quod populo suo ad ædificationem vtilissimum esse agnoscit.

Atque vti nam S. Cœna saltē istis dieb. vera pietate ac deuotione mentis celebraretur. Certè nostri muneris & officij fuit, irreligiosam istam, contumeliosam, & damnatã S. Cœnę tractationē, quæ tam horribiliter inualuit, quãtum in nobis erat, amouere, nostramque conscientiam alienis peccatis non grauare, quẽ admodum Aduersarij faciunt. Qui potius permittunt vt ij qui in manifestis & excõmunicationum meritis flagitiis contra conscientiam herēt, quotidie missas & faciant & audiãt, ad crudele & horrendum tam sui ipsorum, quã totius populi iudiciũ, quã vel vnũ aliquẽ abusum, quãtũuis manifestũ, & apertũ fateri & corrigere velint. Dignetur Dominus Deus Ecclesiam suã ab eiusmodi hostib. regni sui liberare.

De Eleuatione.

CAP. LXXXI.

Rostremò meminerunt Eleuationis quoque Aduersarij, eãmque dicunt esse de ratione sacrificij, quam & ratio nominis missæ requirat. Ad hæc vsitatam eam semper fuisse tam in Latinorum quã in Græcorum Ecclesia. Quantum ad sacrificium pertinet, sententiam suam postea se demonstraturos pollicentur: quò & nostram responsionem differemus.

Responsio. Quando dicunt Eleuationem sacramenti tam in Græcorum, quã Latinorum Ecclesia vsitatã fuisse, cõtinuò sibi ipsis cõtradiciunt proprio suo testimonio à Græcis sumpto, qui panẽ & calicẽ velatũ solũmodo circumferunt, non autẽ eleuant, quę consuetudo longo iã tẽpore in Ecclesia Latinorum durauit. Verũtamen est, quod vulgaris Liturgia, quæ à Chrysostomo & Basilio adscribitur, Eleuationem præscripsit, sed tantummodo panis consecrati, non item calicis. Sanctus Dionysius autem, qui omnes actiones sacerdotis in hoc officio propriè ac diligenter cõmemorat, oblationis & ostensionis sacramentorum meminit, nõ autẽ eleuationis, neq. panis neq. calicis. Porrò quãtũ ad Latinas Ecclesias attinet, temerè satis & audacter ab Aduersarijs factũ est, quòd affirmãt, Eleuationem in eis semper vsitatã fuisse: cuius tamẽ ne minima quidẽ indicia proferre possunt, sitq. manifestũ, quod Ordo Carthusianorum necdũ eam vsurpat vt alij, Cisterciensium verò iamprimum intra annos quinquaginta receperit, idq. hanc solam ob causam, vt ceteris se conformaret: non quòd ita fieri necesse esset, vel ab antiquis hoc modo obseruatum fuisset.

Verum